

mutuo consensu, transactione super re, morte alterutrius: sola tamen morte tutoris, vel procuratoris in rem alienam non expirat; solutione pœnæ etc. (l. 13. ff. hoc tit. c. 10 eod.)—3.º Ex parte causæ expirat lapsu temporis præfixi, defectu conditionis non impletæ, interitu rei, super qua laudum dici debuit: denique pronuntiatione laudi super tota causa (l. 19. hoc tit.)

LIBER SECUNDUS

DECRETALIUM GREG. IX.

In hoc libro exactè traditur totus processus judiciarius, tanquam secundum objectum materiale juris. Neque solùm in Canonico, sed etiam in foro civile magnæ est æstimationis et utilitatis, cùm adeo ordinata actuum judicialium series non reperiatur expressa in corpore juris civilis.

TITULUS I.

DE JUDICIIS. ^a

Hic recolenda sunt, quæ in jure civili traduntur ad *tit. de actionibus*, quorum notitia ad intelligendum processum judiciarium est maximè necessaria.

1. Nota I. Judicium hic definiri: *Legitima controversiæ inter actorem et reum ortæ apud judicem disceptatio et definitio*. Ità com. ex c. 10 de V. S. et l. 9 43. C. h. t. Et quamvis nonnulli confundant judicium cum *questione*, *causa*, *lite* et *instantia*, in rigore tamen hæc omnia differunt. Nam *questio* est ipsum jus controversum in judicium deducibile; *causa* est idem jus actu deductum in judicium; *lis* est actio, qua res controversa deducitur in judicium; *instantia* est exercitium actionis, quod

a.—Agitur de his in Sexto, Clementin. et Extrav. com. h. t.—In Decreto 2. q. 1 et 5. q. 4. et 14. q. 1. 15. q. 7. 16. q. 6. 30. q. 1. *fn. a Can. si quis*.—In Trid. sess. 7. c. 14. sess. 24. c. 20 et sess. 25. c. 10 de refor. et sess. 13. c. 5 de reform. ubi de judicio summario.—In Institutionib. lib. 4 tit. 6 de actionibus cum seq.—In Pandectis lib. 5. tit. 1.—In Codice lib. 1. tit. 4. lib. 2. tit. 1, 5, 6, 7.

litis contestatione incipit et finitur, vel sententia definitiva, vel lapsu temporis à jure præscripti, ut biennii, aut triennii, (l. 13. §. 1. C. h. t.)

Nota II. Judicium quoad substantiam descendere ex jure naturali, quod dictat in Republica debere esse aliquas personas publicas, quæ litigantibus jus dicant, ne causæ per violentiam dirimantur, sicut fiebat apud veteres per diffidationes, jam hodie sublata. At quoad solemnitates, judicium est creatura juris civilis et canonici, quia solemnitates istæ inventæ sunt à jure civili, et deinde in jus Canonicum translata, ut patet ex hoc Libro II.

Nota III. Judicium variè dividi: et quidem:—ex parte *finis*, in *civile*, in quo tractatur causa civilis vel criminalis civiliter, ad privatum commodum actoris; et *criminale*, in quo tractatur causa criminalis criminaliter ad vindictam publicam, sive capitalem, sive non capitalem.—Ex parte *causæ efficientis*, in *ordinarium*, quod fit à judice ordinario; et *delegatum* seu *extraordinarium*, quod à delegato.—*Ecclesiasticum*, et *seculare*, quorum illud ab ecclesiastico, istud à judice laico perficitur.—Ex parte *formæ*, in *plenarium*, seu *solemne*, aut *ordinarium*, in quo omnes solemnitates et apices juris observantur; et *summarium*, seu *extraordinarium*, in quo proceditur de *plano* absque *strepitu* et *figura j. udicii*, sola rei veritate attempta.—Denique ex parte *materiæ* tot sunt divisiones judiciorum, quot *materiarum* et *actionum*, ex quibus præcipuas hic referam. Primo itaque judicium ex parte *materiæ* dividitur:—1.º In *spirituale*, in quo causæ spirituales, vel his annexæ; et *temporale*, in quo causæ merè profanæ tractantur. Differt *spirituale* ab *ecclesiastico*, sicut species à genere, quia in ecclesiastico agi possunt etiam causæ profanæ Clericorum. *Temporale* autem differt à *seculari*, sicut genus à specie, cum causa temporalis etiam coràm ecclesiastico discuti valeat. De judicio spirituali sacramentali nullus nobis hic sermo.—2.º In *reale*, in quo actio realis; et *personale*, in quo actio personalis proponitur.—3.º In *universale*, *generale* et *singulare*. *Universale* instituitur super universitate rei, hoc est, super corpore bonorum à diversis juribus conflato, uti est hæreditas, territorium, Ecclesia etc. *Generale* fit super pluribus rebus, separatis tamen, et nullam universitatem constituentibus, uti est judicium tutelæ, pro socio, negotiorum gestorum etc. *Singulare* fit super una re determinata, ut super hoc agro, grege ovium.—4.º In *simplex*, in quo unus litigantium est actor, et alter reus; et *duplex* in quo uterque litigantium est actor, et uterque reus: in processu autem is fit actor, qui prius provocavit; vel si uterque provocavit simul, sortiendum est, vel à judice determinandum, quis rei, quis actoris partes agat (lib. 13 14. ff. h. t.): ita accidit in judiciis divisoriiis familiæ herciscundæ, communi dividundo, et finium regundo.—5.º In *petitorium*, in quo agitur de jure et causa proprietatis; et *possessorium*, in quo agitur de possessione rei aut juris. Denique sicut actiones, ita et judicia sunt *bonæ fidei*, vel *stricti juris*, *pœnalia*, *arbitraria* etc.

2. Q. I. Quot personæ constituent judicium?

R. 1.º Tres principales et necessariae: actor, reus, et judex, (c. 10. §. omni de V. S. et l. 62. ff. h. t.) Actor est, qui actionem proponit, et ad

judicium provocat: in criminalibus dicitur *accusator*, cujus vicem sæpe supplet fama, indicia criminis, vel ipsum officium judicis in crimina inquirentis, (c. 24 de accus.) Reus, non à reatu, sed potius à re, seu controversia ei mota dictus, est, qui ab actore in jus provocatur: *judex* verò est, qui utrique parti jus dicit.—2.º Personæ accesorie, seu auxiliares ex parte judicis sunt *assessore*, seu *consilarii*, quibus de jure communi non competit jurisdictionis; *auditores* in curia Romana, et apud legatos Sed. Apost., qui in aliis tribunalibus dicuntur *referendarii*, qui prius causam examinant, eamque referunt ad judicem ex merito decidendam; *notarii*, seu *actuarii*, aut *protocollistæ*, qui acta judicialia notant, et in protocollum, seu tabulas, aut librum actorum referunt: *nuncii*, seu *apparitores*, *viatores*, *pedelli*, qui jussa judicis exequantur, citationes ad partes deferendo, etc. Et horum personæ sunt *sanctæ*, cum à malitia hominum quoad actus sibi injunctos immunitate gaudeant.—Ex parte litigantium sunt *advocati*, *procuratores*, et *testes*.

3. Q. II. In quibus casibus prohibetur judici, aliis competenti, judicare?

R. Præcipue in his tribus:—1.º Si coràm alio judice egit advocatum in eadem causa (arg. l. fin. C. de accessor.)—2.º Si ipse in alio judicio consimilem causam habeat, (c. 18. h. t.)—3.º Nullus inferior potest esse judex in propria causa, hoc est, cedente in proprium commodum et utilitatem. Ità rubrica et l. un. C. ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat. Cui consonat l. 10. ff. de jurisd. et Can. 27. inter querelas 23. q. 4., ubi reprehenditur Episcopus, quòd in causa propria injuriæ sibi illatæ, excommunicationem tulerit: nam in his casibus, propter naturalem erga se propensionem, suspicio est iniqui judicii.—Nec obstat, quod judex injuriam notoriam sibi ut judici illatam punire possit ad vindictam publicam, vel Episcopus judicare in causa suæ Ecclesiæ, quæ ipsi Episcopo non est communis: nam in his et similibus casibus causa non est propria judicis, sed potius officii, aut Ecclesiæ; adeoque cessat causa suspicionis. At contra, supremus Princeps, ut Papa, Imperator, Rex, judicare potest in propria causa, inter ipsum et subditum mota l. un. C. si quis Imperat. maled. l. 41. ff. de hæred. instit. et c. 12 h. t., ubi lis super privilegiis Apostolicis orta, soli Sedi Apostolicæ reservatur decidenda. Ratio est, tum quia Princeps non tenetur se submittere judicio inferioris; tum quia suspicionem in Principe sufficienter purgat summa dignitas et æquitas in legislatore præsumpta. Consultius tamen est, ut in talibus causis arbitri eligantur (l. 2. C. si advers. Fisc.)

4. Q. III. Qui habeant legitimam personam standi in judicio?

R. 1.º In reo *necessario* nulla specialis qualitas requiritur; quia iste invitus trahitur ad judicium. At in reo *voluntario*, qui spontè venit ad se defendendum, et multò magis in actore, requiruntur speciales qualitates, scilicet, ut sit homo liber, majorennis, et nullo jure prohibitus à judicio.—2.º Quilibet in judicio stare potest, nisi specialiter prohibeatur: prohibentur autem:—I. *Infantes*, *amentes*, *prodigi*, *surdi*, *muti*, pro quibus tamen curatores agunt (l. 12. §. fin. ff. de tutor. l. 1. C. de curat. fur.)—II. *Pupilli* sine auctoritate tutoris in suum damnum (l. 1. C. qui leg. pers.), ubi in l. fin. excipitur causa

momentaneæ possessionis.—III. *Minores* sine auctoritate curatoris, quo si careant, dandus est eis curator ad litem (§. 2. *In de curat.*) Excipe causas spirituales, ut matrimonii, beneficii etc., in quibus minores habentur pro majoribus (*c. fin. h. t. in 6.*) Item in causas alimentorum, et si minor veniam ætatis impetravit (*l. 2. C. de his qui ven.*); et quoties consuetudo aliud habet.—IV. *Filiusfamilias* sine consensu patris contra extraneum. (*cit. c. fin. h. t. in 6. et l. fin. Cod. de bon. qualib.*), nisi agat in causa spirituali, vel nomine alieno, ut tutorio, vel circa peculium castrense etc.; contra patrem autem agere nequit, nisi obtenta prætoris venia (*l. 13. ff. de in jus voc.*)—V. *Excommunicatus* tanquam actor, nisi in causa suæ excommunicationis, vel periculi animæ, uti in matrimonialibus (*c. 7. h. t.*) Et quidem, si vitandus est, removeri debet exceptione, vel ex officio judicis: respondere autem regulariter debet per procuratorem, nisi causa esset nimis ardua, et non adesset procurator idoneus et gratuitus, *ibid.*—VI. *Religiosus* sine consensu Prælati, nisi habeat beneficium ecclesiasticum, vel agat in causa sua contra Prælatum, v. g. ne ejiciatur, alimentis privetur etc. At Prælatum in causa communis Ecclesiæ, agere et respondere potest sine capitulo (*cap. 21 de rescript.*), nisi causa simul spectaret ad administrationem capituli. Parochus, si solus administret bona Ecclesiæ, admittitur in judicio; si cum Episcopo, is utpote major præferendus erit. Circa Prælatos regulares consulenda sunt propria statuta.—VII. *Mulier* honesta, præsertim illustris, in causa civili non potest invita personaliter trahi in judicium: si tamen vult, potest agere et respondere (*c. 2. h. t. in 6. 8.*)—VIII. *Servi* propriè dicti, cum non habeant communionem juris civilis, nequeunt stare in judicio, nisi litigent in causa sui status, libertatis etc.—Ceterum personæ istæ, dum utilitas publica exposcit, v. g. in causa perduellionis, hæresis etc., plerumque admittuntur ad judicium.

5. Q. IV. *An quis invitatus compelli possit ad agendum?*

R. Negativè: ita rubrica cum *l. un. C. ut nemo invitatus agere, vel accusare cogatur*. Excipe, nisi jam litem inchoaverit, vel alterum diffamaverit (*l. 5. diffamari C. de ingen.*), vel nisi ex quasi contractu ad agendum sit obligatus, uti tutores, administratores, hæres pro vindicanda nece defuncti etc.; at in reum, etiam invitum, judicium reddi potest. Ceterum in causis saltè civilibus nec actor, nec reus cogi potest, ut personaliter in judicio compareat, cum jus concedat procuratorem (*c. 2. de procurat l. 1. et fin. C. eod.*), nisi specialiter lex vel rescriptum Principis aliud jubeat. Et quamvis ea quæ sunt facti, regulariter ab ipsis partibus, utpote his notiora, proponenda forent (*c. 14. h. t. l. 79. ff. eod.*), pro varia tamen conditione personarum, relinquuntur ea proponi per advocatum, maximè si pars adversa non contradicat.

6. Q. V. *Quæ sit materia, seu objectum judicii?*

R. 1.º Omnis causa, seu res inter partes contraversa; licèt non quælibet causa à quolibet judice judicari possit, sed solum à competente. Unde:—1.º Causæ merè Ecclesiasticæ, hoc est, spirituales, uti sacramenta; vel spiritualibus annexæ, uti jus decimarum, beneficii, patronatus, sepulturæ, et hujusmodi tractandæ sunt coràm judice Ecclesiastico privativè (*c. 2. 3.*

etc. h. t.)—2.º Causæ profanæ laicorum regulariter coràm judice seculari agi debent (*c. 10. de for. comp.*); nam Papa et Prælati ecclesiastici, extra suum territorium temporale directè jurisdictionem non habent in temporalia, nisi per accidens et indirectè ratione peccati, vel nisi ex privilegio aut consuetudine aliud concedatur.—3.º Causæ mixti fori substantiè judici tam ecclesiastico, quàm laico, ita ut locus sit præventioni: cujusmodi sunt restitutio ab Ecclesia petita contra laicum (*c. 1. de in integr. rest.*), actus juramento firmati, omnia delicta, excepta hæresi et simonia, quæ sunt merè ecclesiastica, licèt hodie in gravioribus delictis, ut furto, homicidio etc. raro interponat se judex ecclesiasticus.—Item ex communi sententia et praxi tribunalium, quæstio meri facti, cui nihil juris admiscetur, super re spirituali, dicitur esse mixti fori, v. g. an sit juratum, an matrimonium contractum, an laicus turbet Clericum in jure decimandi etc. Ità colligitur ex *c. 2. de jurej. in 6.* ubi laicis permittitur cognitio de juramento, et *c. fin. h. t.* possessorium saltè meri facti super jure eligendi instituitur coràm laico judice Florentino: tum quia laicus cognoscere potest de injuria illata, v. g. Clerico, aut Ecclesiæ (*cap. 8. de for. compet. lib. 10. C. de Episc. et Cleric.*); ergò etiam cognoscere potest, an quis Clericum turbet in jure decimandi. Ratio est, quia tale factum nihil spirituale continet, ergò cognosci potest à laico; et quia excitatur super re spirituali, et plerumque delictum continet, cognosci etiam potest ab ecclesiastico.—Nec obstat *c. 12. de sentent. excom. in 6.*, nam ibi principaliter miscetur quæstio juris, an malefactor reipsa sit clericus. Similiter quæstio facti super hæresi, aut simonia, cum vix pura possit dari sine admixta quæstione juris, pertinebit ad judicem ecclesiasticum (*c. 13. de Hæret. et c. 18. §. prohibemus eod. in 6.*)

7. Q. VI. *Quid sint causæ connexæ, et coràm quo judice tractandæ?*

R. 1.º Causæ connexæ, seu continentis sunt, quæ habent communem liquidationis qualitatem et rationem, neque una sine altera expediri solet. Fit autem connexio, seu continentia causarum pluribus modis: *ratione personarum*, ut inter plures cohæredes, tutores, socios etc.; *ratione actionis universalis* aut *generalis*, ut in petitione hæreditatis, in actione tutelæ, ubi de diversis rebus et juribus agitur: *ratione rei controversæ*, circa quam plures quæstiones moventur, ut principales circa hæreditatem, incidens circa filiationem etc.; *ratione reconventionis*, ut si Titius agens ex vendito, reconvenitur super mutuo, etc.

2.º Continentes, seu connexæ causæ regulariter ab uno et eodem judice cognoscendæ sunt. (*c. fin. de rescrip. l. 1. et fin. ff. de quib. reb. ad eundem l. 5. C. arbitr. tutel. l. 10. C. h. t.*); ex quibus juribus nata est *regula continentia causarum non est dividenda*. Atque id verum est, etsi judex respectu causæ connexæ incidentis, si hæc principaliter proponeretur, non esset competens, quia ipsa continentia ex dispositione juris facit eum competentem, *l. 3. C. h. t.*; ubi judex principaliter cognoscens super causa honorum, incidenter cognoscere potest super causa status libertatis aut servitutis, licèt aliàs super causa status, si principaliter proponeretur, non posset cognoscere. At si Judex respectu causæ alterius connexæ, non tan-

tum per se esse incompetens, sed etiam incapax, nullo modo de illa potest cognoscere, etsi tantum incidenter proponatur; sed tenetur eam ad proprium judicem remittere, sicut laicus causam spiritualem tenetur remittere ad ecclesiasticum, quia respectu causæ spiritualis est simpliciter incapax: *Can. 3. de ord. cognit. c. 7. qui filii leg.*, ubi quæstio nativitatis legitime à judice ecclesiastico decidenda dicitur.

8. Q. VII. *Quis sit iudex causarum feudalium?*

R. 1.º Si lis oriatur inter duos vasallos, cognitio pertinet ad dominum, si verò inter vasallum et dominum, decisio litis spectat ad pares curiæ, seu vasallos conjudices (*lib. 2. F. tit. 53. §. fin.*); nam jus in his causis tribuit jurisdictionem domino et vasallis (*c. 5. h. t.*), etsi vasallus esset Clericus (*c. 6. 7. de for. compet.*)—2.º Si lis oriatur inter vasallum et extraneum, vel misceatur causa extrafeudalis, v. g. an fundus sit allodialis, cognitio pertinet ad judicem ordinarium, quia dominus in extraneum, uti et in causas allodiales, nullam habet jurisdictionem.

9. Q. VIII. *In quo consistat forma judicii?*

R. 1.º Forma judicii plenarii consistit in solemnitatibus à jure præscriptis, uti sunt oblatio libelli, litis contestatio, et aliæ de quibus in hoc libro agitur.—2.º Forma judicii summarii consistit in his, quæ de jure naturali et Pontificio requiruntur ad justitiam judicii, uti sunt propositio causæ, ejus probatio, citatio et defensio rei, ne is inauditus condemnetur, prolatio sententiæ, et insuper *ex Clem. 2. sæpe de V. S.* requiritur juramentum calumniæ et veritatis, ut petitio actis inseratur, sententia in scriptis proferatur, positiones et articuli admittantur. Porro, judicium summarium adhibetur in causis levibus, in quibus sufficiunt leviores probationes, etiam quandoque semiplenæ; item in causis gravibus, quæ celerem expeditionem exposcunt; et in his, licet de plano procedatur, tamen plenæ probationes requiruntur; cujusmodi sunt causæ electionum, decimarum, matrimoniales, usurarum, pauperum et miserabilium personarum, mercedum, alimentorum, etc.; item causæ etiam criminales Regularium.

10. Q. IX. *Quando instantia judicii finiatur?*

R. 1.º Prolata sententia definitiva, quia tunc iudex functus est suo officio, (*l. 53. ff. de re jud.*)—2.º De jure civili lapsu temporis, scil. triennii in causa civili, et biennii in criminali (*l. 13. C. h. t.*), quod tamen hodie non observatur. De jure autem Canonico veteri, quo admittebantur appellationes ab interlocutoria, instantia fuit perpetua, ne lites ex litibus nascerentur (*c. 20. h. t. c. 5. de in integr. rest. c. 14. de privileg.*) Et quia Trid. sess. 24. c. 20 de ref. antiquam dispositionem non sustulit, sed tantum permisit, ut partes, si velint, lapso biennio, adire possint Superiorem, sequitur adhuc hodie de jure Canonico instantiam esse perpetuam, donec lis per sententiam definitivam decidatur, vel partes sponte renuntient judicio, vel iudex ex justa causa partem aliquam absolvat ab observatione judicii. Excipitur instantia secunda appellationis, cui annus, vel ex causa biennium datur (*c. 5 de appell.*)

11. Q. X. *Quis sit effectus judicii validi?*

R. Triplex potissimum refertur:—1.º Terminatio litis, qua quisque

consequitur quod suum est.—2.º Acta coram iudice competente valent, et fidem faciunt in alio iudicio (*c. 11. de testib.*)—3.º Si sententia transivit in rem judicatam, in utroque foro admittenda est (*c. fin de except. in 6.*)

12. Q. XI. *Ex quibus causis iudicium reddatur invalidum?*

R. Ex seqq:—1.º Ex defectu competentis iudicis (*c. 4. h. t.*)—2.º Ex defectu litigantium, si non habent legitimam personam standi in iudicio.—3.º Ex defectu mandati procuratorii.—4.º Ex omissione actus vel solemnitatis substantialis, ut citationis, contestationis litis etc., vel si ordo iudiciarius inversus fuit. In Camera imperiali, et Curia Romana, post Const. Pauli V. reformatioriam tribunalium, ad invalidandum iudicium tres tantum solemnitates attenduntur; *Judex incompetens, Procurator mandato sufficienti destitutus, et omissa citatio.*

13. Q. XII. *An acta iudicis existimati in concursu erroris communis sustineantur ut valida?*

R. Affirmative, ex celebri *lib. 3. Barbarius ff. de offic. prætor.* relata in *Can. 1. in fin. 3. q. 7.*, ubi acta Barbarii servi in præturam erecti, eo quod communiter habitus sit pro libero, pronuntiantur valida; et *c. 24. de sent. et de re jud.*, sententia à notorie excommunicato prolata declaratur irrita; ergo si excommunicatio nota non fuisset, valisset ejus sententia.—Ratio est, quia in tali casu republ. vel Ecclesia propter utilitatem publicam, et ad evitanda plurima incommoda, quæ ex revocatione talium actorum sequerentur, supplet jurisdictionem iudicis existimati. Respectu verò jurisdictionis in confessario, ut valide absolvat, juxta probabiliorem sententiam, præter titulum coloratum, quando scilicet hic collatus est, sed invalide, vel à principio, vel in decursu temporis propter aliquem occultum defectum, simul etiam requiritur error communis, id est, cum communiter putatur aliquem habere verum titulum, quem non habet.

In quo casu, accedente bona fide pœnitentis, valida erit absolutio. Quod si postea pœnitens sciat jurisdictionis defectum, vel dubitet de validitate suæ confessionis, tenetur eam reiterare coram legitimo confessario, ut declaravit Congregat. Concilii (*in Patavina, 11 Decembris 1683 ad 2.º dub. à me recognitum.*)

At si defectus à potestate humana sit in supplebilis, actus cum illo gestus est invalidus, sicut absolutio data à non sacerdote. Ex his solvuntur *c. 54. v. in suæ de elect. l. 15. ff. de jurisd.* cum similibus *l. 10. ff. de Decur;* nam procedunt de errore et facto privato, non verò communi et publico. occasione cujus suprema potestas supplet jurisdictionem inferioris.